



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

1 Monasterium S. Trinitatis Minimorum de vrbe, a quo fundatum sit & a quibus regendum sit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

TITVLVS III.

De Ferijs.

S V M M A R I V M.

- 1 Festum ob paruitatem, aut necessitatem operæ non violatur.
- 2 Missa ab audienda quæ distantia, & quos excuset.
- 3 Famuli artificum in ferijs laborantes peccant, nisi necessitates excuset.
- 4 Missa ab audienda excusantur agafones, qui vt minus impendant, longe se recipiunt.
- 5 Missam vt audiant pastores ouium, Dominus eorum curare debet.
- 6 Scribendi actio, quando opus seruite sit,

DECISIO I.

Ex cons. 1. in vtriusque.

- 1 Licet festum ob paruitatem materiæ non violetur, & necessitas magna etiam a festo colendo excuset si tamen aliqua fiant quæ communiter a Magistratibus Ecclesiasticis prohibentur, a peccato omnino transgressores immunes non censentur; quamuis habita ratione paruitatis materiæ, & necessitatis a mortali peccato excusari possint.

DECISIO II.

Ex cons. 2. alias 3.

- 2 Agricola locantes operas suas menstruas pro certis locis remotis ab ecclesijs circiter tria, aut quatuor miliaria, quamuis aliquando, ratione ætatum, si admodum senes sint, vel temporum si pluuia sit in aliqua saltem abundantia, aut inundationes, & loca periculosa, & luosa, fuerint, ab audienda Missa diebus sacris excusantur, si tamen robusti sunt, nec aliud vrgens impedimentum adest, ex eo solum quod tribus miliaribus, aut circiter a loco, vbi Missa audienda est, distant, nullatenus sunt excusandi.

DECISIO III.

Ex cons. 2. alias 3.

- 3 Famuli artificum seruientes eis aliquot annis, vt eorum artes discant, si coacti a suis Dominis & magistris seruilia opera faciant, non proponunt discedere ab eis nolentibus eos aliter docere, peccant diebus festis laborando nisi necessitas artificum magna, aut propria excuset, etiam audito sacro: multoque magis si sacrum audire omittant; Nec a Confessarijs suis absolui possunt, nisi deinceps desistere firmiter proponant.

DECISIO IV.

Ex cons. 4. in vtriusque.

- 4 Agafones, seu agentes equos, ac miliones pauperes extra vrbes & castra commorantes in hospitij & locis plurimum distantibus ab ecclesijs, & in quibus minoris emuntur necessaria ab audienda Missa excusantur, si principaliter huiusmodi loca, & diuerforia, vt minus impendat & non vt ab auditione Missæ excusentur, adeant ex Na. in Man. c. 13. & ca. 22. nu. 3.

DECISIO V.

Ex cons. 5. in vtriusque.

- 5 Pastores ouium longe ab ecclesijs constituti, si possunt, ita inter se conuenire debent, vt vel maior pars, vel aliqui saltem Missas audiant, nec illis seruire debent, qui custodes ad id necessarios locare nolunt: cum vt Missas audiant pastores ouium Domini eorum curare teneantur.

DECISIO VI.

Ex cons. 6. in Nouis deest in antiquis.

- 6 Vm opus seruite, opus manuarium sic magis propriè scribis conueniens quam ijs, quibus seruitur, ex Na. in Man. c. 13. num. 3. quamuis scribendi actio, prout est opus per animi prudentiam, id est, prout significat legem condere, aut librum componere, opus seruite non sit, quando

ramen ex vna scriptura alia similis transcribitur, actio seruilis est. Non tamen ex eo solum opus seruite aliquid efficitur, quod ob lucrum, vel mercedem fiat, ita Ca. 2. q. 122. art. 4. Nauar. in Man. cap. 13. num. 5. & 12. Quando autem in die festo conceditur alicui facultas laborandi, ea solum opera concedi censentur, quæ vir bonus & prudens in spectis circumstantijs personarum, causarum, siue occasionum generis operum, & alij arbitrabitur. Arg. l. 1. ff. de iure delib. & c. de causis, de offic. deleg. Ita vt maius tempus ad aliquid consuegendum, vel ad barbas radendas, & capillos circuncidendos concedi poterit, quam ad fodiendum in agro vel potandam vineam.

TITVLVS IV.

De causa possessionis.

S V M M A R I V M.

- 1 Possessio beneficii renunciati ipso iure non perditur, & sic spoliatus potest agere de spolio.

DECISIO I.

Ex cons. unico, alias 1. de offic. iudic. ordin.

- 1 Possessio beneficii per promotionem, vel renunciationem spontaneam ipso iure non perditur, donec relinquatur possessionem, vel ab ea legitime expellatur, vnde gesta interim a possessore valent, adeo, quod si spoliatur de spolio contra spoliante[m] iuste agere possit, ita Inn. in ca. super hoc de renunciat.

TITVLVS V.

De Restitutione spoliatorum.

S V M M A R I V M.

- 1 Legis humane mutatio vitanda, nisi eius utilitas præponderet.

DECISIO I.

Ex cons. 1. in vtriusque.

- 1 Quamuis omnia, quæ sunt iuris humani Summus Pontifex mutare possit & mutatio valeret, licet aliquando fieri non deberet; ea. Quæ ecclesia, de constit. a culpa tamen non excusatur, si absque iusta causa eam faceret. Quia licet consuetudo, & lex humana iusta de causa mutari possit, non tamen absque illa; sed nec cum illa, etiam, cum occurrit aliquid melius, nisi illud præponderaret, & maioris momenti esset Reipublicæ quam malum, quod ex immutatione sequeretur: c. iudicium, dist. 12. & S. Tho. 1. 2. q. 97. art. 2. præsertim cum ex mutatione illius ad alicuius præiudicium, & bonorum spoliacionem procederet.

TITVLVS VI.

Vt lite pendente nihil innouetur.

S V M M A R I V M.

- 1 Monasterium S. Trinitatis Minimorum de vrbe, a quo factum datum sit & a quibus regendum sit.

DECISIO I.

Ex cons. unico in antiquis, alias consil. 9. de constit. in Nouis.

- 1 Monasterium S. Trinitatis Minimorum in Mōte Pincio in vrbe Romana, a Rege Francorum ita fundatum est, & ab ipsomet S. Francisco de Paula eiusdem ordinis institutore hoc priuilegio donatum, vt semper per fratres Gallicæ nationis, quamdiu inueniantur, qui inibi resident, & cultui diuino insistere voluerint, regatur; sin autem non reperiantur Galli illud inhabitare volentes, tunc & per alios regi, & inhabitari poterit; pariterque si locus sup-

TITVLVS IX.

De Probationibus.

Hic Titulus deest in Nouis.

S Y M M A R I V M.

Literis episcopi sigillatis, et non subscriptis in his, que eius officium tangunt, creditur.

DECISIO I.

Ex consil. 1. alias 1. de fide instrumenti.

1 Sicut literis Episcopi sigillatis, & non subscriptis in his, que ad officium eius pertinent; etiam sine Notarij subscriptione creditur; ita Deo, in c. post cessionem, de prob. Ita etiam, & beneficij collatio literis Notarij, & sigillo Episcopi munitis, & testibus, sine scriptura Episcopi probatur, c. 1. & 2. de fide instrum. Rota dec. 38. de prob. in antiq.

TITVLVS X.

De Testibus, & attestationibus.

S Y M M A R I V M.

1 Testis, qui falsum testando nullam ledit, irreligionem committit, non iniustitiam. 2 Credere non tenetur filius matri asserenti ipsum vortum emisisse.

DECISIO I.

Ex consil. unico, alias 5. de crimine falsi.

1 Testis, qui falsum testando nullam ledit, quamuis contra religionem peccet, ex S. Tho. 2. 2. q. 91. & 97. ar. 4. quia tamen contra iustitiam non peccat, ad restitutionem que iustitie commutative actus est, vt ait S. Th. 2. 2. q. 62. ar. 1. & q. 70. ar. 4. & N. in M. c. 17. n. 6. & 1. non tenetur; sed factis est, vt peccati commissi peniteat; Sin vero ex falso testimonio proximus damnum sustinuit tenetur dictum suum antequam sententia feratur reuocare, saltem debilitando suum testimonium falsum ei in toto, vel in parte prodesse poterit, c. Præterea, de testib. cogen. S. Tho. in d. q. 70. ar. 8. Man. c. 25. nu. 40. & aliam satisfactionem pro ratione dāni ex falso suo testimonio illati facere.

DECISIO II.

Ex consil. 2. in Nouis, deest in antiquis.

2 Credere non tenetur filius matri asserenti ipsum vortum in infirmitate emisisse: sicut nec credere matri suæ nuptæ tenetur, quod eum ex alio viro per adulterium genuit.

TITVLVS XI.

De Testibus cogendis, vel non.

Hic Titulus deest in antiquis.

S Y M M A R I V M.

1 Clericus testimonium in causa sanguinis ferendo peccat.

DECISIO I.

Ex consil. 1. in Nouis, deest in antiquis.

1 Clericus testimonium in causa sanguinis ferens, non solum peccat, sed etiam si sequatur, occisio, vel mutilatio, irregularis efficitur c. Sententiam, ne clericis, vel monachi. Vnde nec ad tale testimonium ferendum cotam iudice seculari cogi potest, c. Quanquam 14. q. 1.

TITVLVS XII.

De fide instrumentorum.

S Y M M A R I V M.

1 Antiquitas instrumentorum, quod valeat ad rei probationem.

2 Testi-

potest, vltra quam reperiantur habitantes nationes & alie, alij etiam aliarum nationum mixtim habitare poterunt. Quo privilegio stare, solus Generalis pro conventibus, & filijs illius Monasterij; alios Monachos eisdem ordinis, in alijs Monasterijs professos, nomenclibus Correctore, & maiore parte conventus illius Monasterij, saltem licet inter Generalem, & eundem conventum pendente, recipere non potest: Quod si secus fecerit, eisdem Monasterij fratres Generali obedire non tenentur, sed modeste appellare superiorem adire possunt, & debent; per quam appellationem, & iuridicam superioris aditionem, sententia, & censura Generalis contra eos late suspenduntur.

TITVLVS VII.

De sequestratione possessionum, & fructuum.

S Y M M A R I V M.

Sequestrum est rem, de sequestr. possess. concordia partium non tollitur.

DECISIO I.

Ex consil. 1. in vtrisque.

Sequestrum positum in iure Clem. 4. de sequestr. possess. concordia partium non tollitur, sed eo vsque durat, donec iudex litem finitam, & concordiam validam esse declaraverit; ne alias aliquando vna pars dicere possit litem non esse extinctam nec concordiam esse validam: sicut a simili quamvis suspensio facta quoad aliquod certum tempus per aduentum illius tollitur, quia nulla potest esse dubitatio de illius aduentu; suspensio tamen facta donec satisfaciatur, non tollitur donec iudex declaret esse satisfactum: quia possit vna pars id affirmare, & altera negare ex Inn. in c. cum bonæ, de acta. & qual.

TITVLVS VIII.

De Confessione.

S Y M M A R I V M.

Confessio prior quando præualeat posteriori, & quando non.

DECISIO I.

Ex consil. unico in vtrisque.

1 Ict regulariter confessio prior ceteris paribus posteriori præualeat, cap. per tuas, de probation. Panorm. in conf. 71. par. 1. fallit tamen, quando posterior est per tormenta extorta, vel iurata iuramento, quod est tortura que dam spirituales ex Pan. in d. c. per tuas. non autem prior; Et etiam cum prior est facta metu saltem reuerentiali, vel in loco non libero; posterior autem sine vilo metu, & in loco libero. Gloss. in c. præsens 20. q. 3. vnde puella, opera patris ingressa Monasterium, animo quocumque vellet, exiit, si post aliquot annos persuasa ab Abbatisa Monialis fiat; quod egre ferens pater, qui eam nuptui tradere cupiebat protestatur de nullitate professionis, eamque ab Episcopo examinari faciat, quæ respondit simpliciter se esse Monialem; postea autem e Monasterioeducta, & a Commissario examinata iureiurando respondit se nunquam potuisse fieri monialem posteriori, non priori confessioni eius standum est, & pro nullitate professionis iudicandum attentio quod prior illa confessio sine iuramento, & in loco non libero, & ex timore reuerentiali Abbatisæ præsens facta fuerit, secunda vero cum iuramento, & in loco libero: attentio etiam quod confessio mulierum in his, quæ ad matrimonium carnale, vel spirituale pertinent in loco libero, & plenæ libertatis fieri debeat, ea. c. loci, de spons. I. c. idem, sess. 2. de ref. Matrimo. c. 6. & sess. 25. c. 17. de reg. adeo, vt timor reuerentialis efficiat, ne confessio etiam quo ad forum exterius valere censetur. Gl. in d. c. præses, & c. 1. de his, quæ vi. Man. cap. 2. num. 51.